



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Caluinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...

In Epistolam B. Pauli ad Romanos

Stapleton, Thomas

Antverpiæ, 1595

4. An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?

urn:nbn:de:hbz:466:1-39447

quæ docent, hominibus in statu peccati, & ^{Impunita} perpetuò peccantibus, idque ex rei veritate ^{iusiustitia} mortaliter peccantibus (quia interveniale & mortale respectu iudicij diuini nullum discrimen ponendum esse affirmat Calvinus) imputari Christi iustitiam per fidem; & peccatores haberi iustos coram Deo. Destruitur quoque ex his verbis eorum imputatiua peccatorum remissio quam ponunt, docentes manere in baptizatis concupiscentiam vt peccatum, sed non imputari. *Iudicium enim Dei secundum veritatem in eos qui male agunt, nec habet pro iustis qui peccatores sunt, nec peccatum quod manet sustulisse dici potest.*

4. *An diuitias bonitatis eius, & patientia, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?*

Docet hic locus cooperationem liberi ^{Liberi arbitrij cū gratia Dei cooperatio.} arbitrij cum gratia, quam semper negat Calvinus. Paulus enim docet, Gratiam & auxilium conuersionis multis sufficienter offerri quos efficaciter non conuertit, qui ipsi per duritiam cordis sui gratiæ sufficenti, & quæ efficax fieri poterat, liberè resistunt, vt de Iudæis Stephanus dixit, *Vos semper Spiritui Sancto resististis: & ad eisdem Christum, Quoties volui congregare vos sicut gallina congregat pullos suos sub alis suis, & nolulistis! Isti secundum auaritiam suam & impœnitens cor thesaurizabant* ^{Mat. 23.}

zabant sibi iram Dei, quæ postea erupit, eversa per Romanos Hierosolyma. Istos benignitas Dei, το χρησον τη θεω (quæ infra cap. II. *seueritati* De iopponitur, ideóque gratiam & misericordiam significat) ad pœnitentiam adduxit: id est, ideo data est vt adduceret, nisi illi per duritiam suam restitissent. Isti denique grauissimè peccarunt, hac Dei benignitate abutentes. Atqui nullum fuisset abusus diuinæ gratiæ peccatum, si vel voluntariè & liberè gratiam Dei non repulissent; vel talem gratiam non repulissent, cum qua de facto cõuerti potuissent. Alioqui si etiam illam gratiam accipiendo, seu eius ductum sequendo, eique consentiendo, non fuissent conuersi, mansissent in peccato absque sua culpa; saltem absque hac magna duritia & impœnitentia qua tantam Dei iram thesaurizabant. Nunc autem sua maxima culpa manserunt in peccato. Restiterunt ergo libera electione tali gratiæ, quæ eos ad pœnitentiã adducere poterat, siue quæ ad conuersionem illorum fuit ex se & per se sufficiens. Vide Origenem lib. 3. de principijs, capite 1. & August. serm. 88. de tempore, & Ludouicum Molinam de concordia liberi arbitrij cum gratiæ donis, quæst. 14. art. 13. disp. 12. & quæst. 23. art. 4. & 5. disputatione 1. num. 9. & disputatione 3.

G. Red.